



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 7. De proposito requisito ad valorem, & effectum confessionis de
venialibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

nitentia Concilium requirit: veluti omnes dicere debemus de dolore, de multitudine mortali, qui voluntatem peccandi non excludat. Nostra sententia secur. or est.

QVÆSTIO VI.

An pœnitens teneatur sub mortali habere dolorem efficacem de omnibus venialibus, qua confitetur?

1. **E**um qui de venialibus confitetur, teneri si etiam materiam non adhibeat, de uno saltem veniali dolore efficacem habere, constat ex dictis 9.5. nu. 20. idem in præfenti solum inquirimus, an talis dolor efficax, & derelictio de omnibus, quæ quis confitetur, esse debeat? an de uno veniali sufficiat? Prima opinio asserit, esse obligationem sub mortali ad concipiendum dolorem efficacem de omnibus venialibus in confessione subiectis. Ita docent multi suppreffo nomine citati à P. Suarez disp. 20. sect. 6. n. 7. Probat, quia absolutio cadit supra omnia venialia; ergo in omnibus debet esse vera, & effectum habere. Sed talis esse non potest, nisi de omnibus dolor concipiatur: ergo, &c. Secundò, quia confiteri aliquod veniale absque dolore efficaci illius, est offerre pro materia Sacramenti, quod revera materia non est: hæc enim solum est confessio dolorosa; talis autem non est narratio peccati absque prædicto dolore.

2. Contraria tamen sententia est omnino tenenda, quæ est Theologorum communis. Suarez supra, Gasp. Hurtado de pœnit. disp. 6. diff. 10. Granado supra 2. in 2. in 3. p. contr. 7. tract. 4. disp. 1. Diana 4. p. tract. 4. resolut. 193. Henriquez, Fagundes, & alii, quos refert, & sequitur Lugo supra disp. 14. n. 118. Probat, quia eo ipso, quod apponatur dolor efficax de aliquo peccato, quod in tali confessione subiecit, non irritatur Sacramentum nec verba Christi Domini frustra, & irritorè proferuntur, nec defectus doloris aliorum venialium ponit obicem effectui Sacramenti, cum non impediat collationem gratiæ, imò nec remissionem venialium, etiam eorum, de quibus non est dolor, dummodo complacentia non habeatur, juxta superius dicta: ergo nullum est caput ad asse- tendum, pœnitentem sub mortali teneri concipere dolorem de omnibus venialibus, quæ confitetur. Adde, neque graviter peccaturum, licet aliquorum complacentiam haberet, ut bene Hurtad. & Diana supra, quia, ea posita, adhuc manet validum, & fructuosum Sacramentum, ratione aliorum, quæ cum vero, & efficaci dolore subji- ciuntur. Secus si de omnibus complacentiam haberet, quidquid dixerit Delgadillo quest. præcedenti nu. 5. citatus, quia hæc non compatitur cum efficaci derelictione alicujus, quæ est pars essentialis Sacramenti.

3. Neque obstat, quod pœnitens se accuset de aliquo, quod ex defectu doloris non sit materia confessionis; de more namque est apud pios, & religiosos se accusare de imperfectionibus, & defectibus, qui peccata venialia non sunt: ergo non omnia, de quibus se accusant, debent esse materia confessionis: admixtio enim alicujus partis, quæ non est materia Sacramenti, non est culpa mortalis, ut constat in aliis Sacramentis: nam in baptismo, cum aqua admiscetur pars quædam olei benedicti, quæ non est materia Sacra-

menti baptismi. Et in Eucharistia vinum consecrandum miscetur aqua, quæ materia consecrationis non est. Ergo à simili in nostro casu, nulla erit culpa, veræ materiæ pœnitentiæ adjungere peccata aliqua venialia, seu mortalia jam confessâ, licet ex defectu doloris materia Sacramenti non sint. Tandem potest nostra sententia suaderi ex eo, quod peccata venialia sunt materia libera confessionis, cum licet possint prohibito omitti: si ergo peccatum veniale omis- sum non obstat valori, & effectui Sacramenti, cur peccatum insufficienti dolore expressum obstat?

4. Dices, qui offerret Sacerdoti decem hostias consecrandas, quarum aliqua non essent triticeæ, peccaret mortaliter: ergo qui offert Sacerdoti pro materia absolutionis decem venialia, quorum aliqua ex defectu doloris materia absolutionis non sint, peccabit mortaliter. Hæc obiectio instatur evidenter in eo qui confitetur imperfectiones, quæ peccata venialia non sunt, & in exemplis de Baptismo, & Eucharistia supra adductis. Respondeo igitur concedendo antecedens, & negando consequentiam, Disparitas sumitur ex intentione Sacerdotis, & verborum significatione communiter recepta: etenim in primo casu de omnibus, & singulis hostiis distributivè affirmat absolute, illud esse corpus Christi: sicut qui plures homines ex occasione occurrenti simul absolvit, dicens: *Ego vos absolvo*; de omnibus, & singulis distributivè loquitur. Ac proinde aliqua hostia triticea deficiente, sicut & aliquo homine absque ullo prorsus dolore se accusante, non potest non irritari aliquod Sacramentum: ipsa enim forma, licet una quoad voces, virtualiter tamen est multiplex: Secus autem in nostro casu contingit, quando imperfectiones, & alii defectus, seu peccata venialia, de quibus non est dolor, explicantur: hoc enim Sacramentum non est multiplex: sed Sacerdotis intentio, & sensus verborum absolutionis est: ego in quantum possum, juxta allegata, & vera tua accusatione probata, remitto tibi peccata tua, quod quidem verum est, licet ex defectu dispositionis aliqua non dimittantur.

5. Ex dictis colligitur: sanum semper fore consilium omnibus, qui venialia tantum confitentur, se accusare de aliquo peccato vitæ præteritæ, de quo verum, & efficacem dolorem habent: sic enim valor Sacramenti, & fructus gratiæ nullum periculum subire possunt. Et aliunde (ut diximus supra) si nullam de venialibus, etiam voluntariè omittis complacentiam habeant, ut tradit expressè P. Granad. supra num. 7. vel saltem aliquam displicentiam, ut magis inclinât Suarez, eorum remissionem virtute Sacramenti consequentur.

QVÆSTIO VII.

De proposito requisito ad valorem, & effectum confessionis de venialibus.

1. **S**uppositis, quæ de qualitate doloris statuimus, non erit difficilis resolutio. Dico igitur, ad valorem confessionis de venialibus, & ad eorum remissionem virtute Sacramenti obtinendam, non requiri propositum vitandi omnia venialia, sed sufficere propositum (quod semper implicite reperitur) non committendi illa, quæ cum efficaci dolore pœnitens confitetur. Ita Card. de Lugo disp. 14. sect. 9. n. 227. Suarez hic disp. 20. sect. 6. n. 7. in fine. Coninch de effectu

ff gratia,

gratie, dub. 14. num. 130. Palao tom. 4. tract. 23. disp. unica, punct. 2. num. 16. & punct. 6. num. 7. Diana 3. p. tract. 4. resol. 117. & desumitur ex D. Thoma q. 87. art. 1. in solut. ad primum. Et debent tenere omnes quæst. præcedenti citati pro nostra sententia; quia, ut vidimus, concedunt, ad valorem, & effectum hujus Sacramenti non requiri dolorem de omnibus venialibus subiectis; & expressius Diana, & Hurtado, qui hæc componunt cum affectu, & complacentia circa aliqua.

2. Hujus conclusionis ratio desumitur ex differentia peccati venialis, & mortalis: mortale namque remitti nequit, quin omnia mortalia remittantur; neque unius remissio stare potest cum effectu adhuc virtuali erga aliud. Unde provenit, quod detestatio peccati commissi, & propositum non peccandi omnia ad mortalia extendi debeat. Econtra verò, cum unum veniale possit remitti sine alio, imò, & existente affectu erga aliud, non est, cur ad remissionem unius requiratur propositum vitandi omnia. Confirmatur, quia propositum efficax non magis requiritur ad valorem Sacramenti, quam detestatio peccatorum, sed quia venialia sunt materia libera confessionis, non requiritur omnium detestatio: ergo neque propositum efficax vitandi omnia. Adde, juxta opinionem quæst. præcedenti relatam, non requiruntur ad valorem, & effectum Sacramenti dolorem efficacem de aliquo veniali, consequenter tenendum est, non requiri propositum efficax vitandi al. quod. Cui opinioni, videtur aliquibus, assentiri P. Suarez lib. 7. de gratia, cap. 24. n. 7. ubi ad obtinendam remissionem venialis fortasse, inquit, non requiritur propositum efficax non committendi simile veniale, sed satis esse poterit, habere displicentiam commissi cum desiderio, & petitione venia. Sed intelligendus cum gravis, nam quod requiratur implicitum efficax circa aliquod veniale, non dubitat Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 6. n. 3. alias Sacramentum esset invalidum. Semel autem in suo valore constituto sufficit ad aliorum venialium remissionem habere eorum displicentiam, juxta superius dicta.

QVÆSTIO VIII.

An ad singulas confessiones requiratur novus actus doloris?

1. **I**N duplici tantum casu, præsens quæstio locum habere potest. Primò, quando poenitens de omnibus peccatis universaliter doluit, oblitus tamen est, confiteri aliquod lethale, de quo post absolutionem recordatur, & statim confitetur. Secundò, quando eadem peccata, sive mortalia, sive venialia jam confessi, vult iterum de novo confiteri. Et in utroque communis Doctorum sententia tenet, ad novam absolutionem recipiendam, debere elici novum actum doloris. Fundamentum est, quia dolor est pars, & materia proxima Sacramenti, non minus, quam confessio; sed cum eadem confessione nequit duplex confici Sacramentum, ergo nec cum eodem dolore. Longè verò alia est ratio de peccatis: hæc enim sunt materia remota, quæ proinde duplici Sacramento, sicut eadem aqua duplici baptismo deservire potest: Ita sentiunt P. V. l. q. 92. ar. 2. dub. 5. n. 1. Filluc. tr. 6. de contrit. cap. 3. num. 77. D. an. 3. p. tr. 4. resol. 116. & Joann. Sanchez in selectis, disp. 1. num. 22.

2. Cæterum P. Henricus licet conveniat cum communi sententia, quoad secundum casum; negat tamen

quoad primum. Ait igitur lib. 1. de Poenitentia, num. 7. cum, qui peccatum oblitum in prima confessione, statim confitetur, non tenet novum dolorem elici, sed virtute prioris absolvi posse, & quæ Sacramentalem recipere: secus verò, si in nova confessione repeteret peccatum, à quo in alia confessione fuit directè absolutus. Movetur ad id, quod constituitur, ex eo quod dolor ille in nova confessione oblita extensus, non fuit per primum Sacramentum rectè informatus, quatenus ad oblitam terminatur. Quæ diceret, dolor ut terminatus ad oblitam, non terminatur in prima confessione, ac proinde iterum poterit esse pars, & materia proxima in secunda, si cus verò contingit, quando in nova confessione obliuiscuntur eadem peccata, à quibus in alia fuerat penitens absolutus; nam cum dolor, ut ad illam terminatus, fuerit pars proxima primi Sacramenti, non potest ad secundum deservire.

3. Hanc doctrinam, quatenus ponit discrimen inter unum, & alterum casum, multis evertit Card. de Lugo disp. 14. sect. 3. num. 33. considerans dolorem, ut terminatum ad oblitam, si deinde iterum essetiale, & materiam proximam primæ confessionis. Verum subimeret contrarius, sententiam quam impugnatur, statim amplectitur, sect. 7. n. 2. loquens de dolore ut terminato ad oblitam, licet tale tamen dolor, prout terminatur ad illud peccatum, quod non confitetur, non esset materia Sacramenti, neque pars illius, quia non fit sensibilis per actum peccatorum confessionem. * Quod tenet etiam Suarez disp. 20. sect. 4. num. 24. Imò in hoc primum maxime nititur Lugo, ad altitudinem Sacramenti validum, & informe. Consequenter igitur P. Henricus, juxta sua principia, abique exigentia non oblitam primum casum admittit, in quo non eadem materia proxima, sed diversa diverso deservit Sacramento, per quod vitatur absurdum, quod communis doctrina fugere contendit; & negat secundum, in quo aliter contingit, eo quod dolor, ut terminatus ad oblitam, nec confessus adimonet, de novo dolorem eliciat (quamvis sanum semper foret consilium precipue jorem securitatem valoris.) Insuper omnes Theologi Morales tanquam reminiscuntur supponunt, non tribundum, qui propter instantem mortem, non test omnia sua peccata lethalia confiteri; postea libet audito, absolvi, & deinde confessionem per quæ novas recipiendo absolutiones novis expiari peccatis: nec ulius est, qui novum dolorem eliciat singulas absolutiones requiratur. Imò id impossibile, & ferè impossibile foret. Omnes igitur communiter sentiunt, eundem dolorem duplici Sacramento deservire posse, etiam si utrobique terminatus sit materia proxima, seu materia proxima, seu materia proxima, quam in altero casu debent hanc sententiam amplecti, ac proinde non solum illum, qui de oblitam tantum confitetur, ut vult Henricus, sed etiam tantum se accusat de peccatis jam confessis, non tantum novum actum doloris eliciere, sed virtute prioris mortaliter perseverantis pluries absolvi posse.

5. Hujus assertionis ratio est, quia ad diversum do-